...ventura.

...is.

Barankovic Martini: Auspicata festorum pontificalium omina.

# AVSPICATA FESTORVM PONTIFICALIVM OMINA

JLLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. DNO,

BONAVENTVRÆ DE NIEDZIELSKO MADALINSKI,

DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO PŁOCENSI,

ad Solennem Cathedræ Płocenſis ingreſsum, inter feſtos publicæ lætitiæ applauſus, officioſiſsimi cultûs & gratulationis ergò,

*A*

MARTINO BARANKOWIC

Scholæ Cathedralis Płocenſis Directore.

DEDICATA.

*Anno Salutis, M DC LXX IV. Die VIII. Septembris.*

---

CRACOVIAE, TYPIS VNIVERSITATIS.

IN GENTILITIVM INSIGNE,

*ILLVSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI PRÆSVLIS.*

tu powinien
być rysunek herbu i
stosowny kaletr.



Quàm Tibi felicés, Præsul Madalinius annos!
Spondeat, & quantis sæcula plena bonis.
Læta Tiaratum recipis dum Płocia Sponsum,
Sacrum Præsulei Stemmatis, omen habe.

Vt possit dé Te summâ Virtute mereri,
Pastoralis ei cura, laborque placet.
Exemplo, Verboque gregem, dum pascere curat,
Vomeribus geminis pascua culta dabit.

*ILLVSTRISSIMO, & Reuerendissimo Domino,*

# DOMINO,

# BONAVENTVRÆ

## DE NIEDZIELSKO

# MADALINSKI,

## Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

## EPISCOPO PŁOCENSI,

## Domino, & Patrono Amplissimo.

*AD gaudia publica, quæ Præsuleos Honores Tuos undiq; circumstant, festosq; Orbi Polono ignes accendunt, ex umbris literatis progredi, Palladis quidem officio decorum censui; Sed à summa luce non confundi, supra ingenij mei captum existimaui.* ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRÆSVL. *Hærebat pronus ad vtrumq; animus, nunc gaudijs intermistus, nunc Amplitudini impar; æquè gradum ad publicam lucem promouens, æquè retrahens; cùm ei nec contineri permissum, nec prodire securum, læta simul, & anxia misceret; ac inter festas undiq; acclamationes, immodici conatûs mens conscia reclamaret. Intrabas cogitantis animum* PRÆSVL OPTIME, *incomparabili virtate, mansuetudine, benignitate, desiderijs, omnibus maior; & mirâ suauitate* TVÂ, *imbelles etiam calamos ad obsequium prouocans: Sed idem occurrebas, meritorum, & gloriæ* TVÆ *magnitudine, tantò eminentior; quantò infra* TE *ingenia omnia longiùs reliquisti; quibus ad ea, quæ hactenus egeras, pari calamo assurgere inconcessum. Rapiebat in Panegyres* TVAS *amica Musis pectora, Spiritus ille; qui in* TE *simillimum aliquid, ex Oraculis Sapientiæ agnoscebat; ibantq; in occursum Tuum, mille gaudijs delibutæ, vectigalesq; Honori* TVO *Musæ; quæ apud* TE, *in amoribus semper, & delicijs fuêre; Sed eadem ipsa Sapientiæ Maiestas, quæ incitamento fuerat, dum claritudinem* TVAM *propiùs intuentur, oculos intuentium reuerberabat. Sic inter Sacrum, quod aiunt, & Saxum hærenti, dubiam animi litem diremit tandem; & inuincibilis illa publici gaudij necessitas; quam ex desideratissimo aduentu* TVO *conceptam, nemini effugere licuit; & incredibilis illa Pontificiæ* TVÆ *Humanitatis gratia, & dulcedo; quæ non stimulos tantùm ingenio dedit, sed manus propè iniecit; vt difficiliùs omninò videri posset, corde potiùs, quòd* TE *in delicijs ferret, quàm voce quæ* TE *loqueretur, carere. Veniebas nimirùm ab Augusto publici splendoris Theatro, post tot Maximarum Virtutum exempla, post tot merita, post tot collata in* TE *à Serenissimis Poloniæ* REGIBVS *decora, eius Nominis ac gloriæ Pontifex, & Senator; quales sibi Cathedra*

*Płocensis Præsules, quales Respublica Senatores, ab omni æuo exoptasse visa est. Ca-*
*pacissimum proinde lætitiæ sinum ita Tibi parabat; ceu in* TE *omnem retroactam Ma-*
*gnorum Præsulum seriem, & omnia cum ijs gaudia, exceptura foret; cùm omnium*
*in* TE *exempla, & solatia sibi polliceretur. Præcedebat amplitudinis* TVÆ *Pontificiæ*
*præcelsum illud decus, & maximæ authoritatis pondus, incredibilis illa erga Omnes*
*benignitas* TVA; *quæ* TIBI, *non Cathedræ tantùm Płocensis, sed intimos etiam cor-*
*dium aditus reserabat. Quidni ergò cùm tantam in cordibus omnium lætitiam, & fi-*
*duciam de* TE *excitasses, manus etiam literatas animares? quidni summa claritudo*
TVA, *quæ intima animorum subibat, Musarum recessus penetraret? eliceretq; para-*
*tam hanc Honoribus* TVIS, *ex vmbratili quamuis ingenio lucem. Datum id à me*
*publicæ lætitiæ argumento; datum iustissimis, & supra omne ingenium euectis Laudibus*
TVIS; *datum deniq; Venerationi in* TE, *& literatis Honoribus* ALMÆ MATRIS
MEÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS; *cuius ego quamuis hîc minima*
*portio, & fontis illius limpidissimi, exiguus riuulus sim; id me tamen agere oportuit,*
*quo constaret, quanta Nominis* TVI *reuerentia, quanta gloriæ amplitudo, in fonte ipso*
*sit. Habet in* TE *summâ claritudine, & antiquitate* ILLVSTRIS MADALI-
NIVS SANGVIS TVVS *dignam Gentilitijs Vomeribus Tiaratæ gloriæ messem;*
*habet Respubl: probatum amplis functionibus illibatæ fidei, & consumatæ prudentiæ*
*decus: habet Ecclesia, confirmatum tot experimentis Sanctimoniæ, & Vigilantiæ Pa-*
*storalis exemplar; quæ auspicatorum de* TE *Ominum, seges est sanè amplissima: sed*
*& Vniuersitati quoq; Nostræ, felicium de* TE *auguriorum, oracula non desunt; ex*
*quibus spem omninò securam concipit; quòd eam paternè complecti, dignum Sapien-*
*tissimo* PRÆSVLE, *& Senatore, opus censebis, quam Sapientiæ Matrem agnouisti.*
*Expandit illa* TIBI *aliquando, literatæ gloriæ sinum; vt gratiæ, & Protectionis ha-*
*beret; pectus illud, & os aureum formans; quod pro se, digna æuo aureo Oracula lo-*
*queretur. Hoc de Pontificia, & Senatoria Purpura* TVA, *intra cuius Protectionem*
*admitti censeriq; exoptat; dum Res Literaria haud dubiè sibi promittit; huc etiam*
*impares quamuis curas meas impulit, vt auspicia* TVA, *voto, & applausu prosequi,*
*victuræ ad Posteros, Musarum erga* TE *venerationis interesse putarem; conscius qui-*
*dem augustiùs de* TE *loqui, maximis non nisi ingenijs licere; sed in publicæ lætitiæ*
*theatro, ex plausu non agnosci etiam minimis nefas esse. Obsidem ergo bonæ spei, ca-*
*lamum hunc, qui Honoribus* TVIS, *in obsequium cessit; ne modico, quem ex se ha-*
*bet, spiritu, seruandæ immortali gloriæ* TVÆ *impar sit; celsissimâ illâ mente* TVA,
*animabis* MAGNE PRÆSVL; *quâ ingentium ex* TE *gaudiorum, vitales vbiq; Spiri-*
*tus excitâsti. Fauebisq; Ominibus de* TE *auspicatis, ex quibus* VENTVRA *felicitas*
TV *ipse Maxima es; quam ante Vota adimples, dum supra omnium gaudia & deside-*
*ria amabilior venis. Nobis hoc coram æterna Maiestate supplici voto, pro* TE *agen-*
*tibus; vt quem* TE *nunc in oculis, & delicijs, Solenni ingressu* TVO *ferimus; nun-*
*quam ex cordibus nostris dimissum, post exæquatam meritis* TVIS *ætatem, Postero-*
*rum Cordibus, ad Optimorum Præsulum exemplar imprimamus.*

Illustrissimæ, & Reuerendissimæ

Celsitudinis Vestræ,

Humillimus Cliens,

MARTINVS BARANKOWIC.

# FESTORVM PONTIFICALIVM
## ex illuſtri Sanguine,
# OMEN I.

Animorum prima gaudia,
non minùs votorum, quàm curarum fœcunda,
nunquam magis præſagia ſua verentur,
quàm cùm maximè feruent.
Mens futuri ſolicita, hilares Gratias minuit;
tantùmq; à vero gaudio diſtat, quantùm matutina à meridie vmbra.
Nempe diluculum omne anxium,
lucem quidem explicat, ſed diem plenè non ſerenat;
cùm inter ſudum & nubila, ſpem promiſcuam verſet.
Etiam inter lætiſſima inquieti ſumus;
Si auſpicati Ominis Sponſore careant;
genio noſtro, ex particula diuinitatis ſic inclinato;
Vt cùm ſcire non liceat ſecutura, liceat ſaltem augurari.
Delphos, Cortinas, & Euandri Matres,
& quidquid Oraculorum tripodem ſapit;
Augurum Collegia, Haruſpicum reſponſa,
exta, & fibras omnes, hoc vnum inſtituit, & inſpexit;
quòd proſpicere velimus, quæ retrò ſunt;
Ne pronæ in terras animæ, & cæleſtium inanes,
dum quantùm inter os, ſupremaque labra diſtat, non capimus,
futurorum improuidi, in ijs tantùm; quæ obuiam venêre, hæreamus.
Abſoluit nos hac curâ,
Votorum ferax, felicitatis ſuæ conſcius, ſecurus gaudij,
ipſe ſibi, & Delphi, & Phœbas, ipſe ſibi, & Vates, & Oraculum,
non Tuus tantùm, ſed bonorum omnium Tecum,

ad Sponſam Tuam, MAGNE PRAESVL aduentus.
Auſpicata Omina, non inquirimus, ſed tenemus;
auſpicatiſſimum ex Te ipſo,
quòd cùm BONA omnia feras, VENTVRA etiam promittas.
Gaudemus cum Sponſa Tua,
æquè præſentium, ac imminentium ex Te gaudiorum ſecuri;
Sponſore Te ipſo Maximo, quia Sponſo;
qui antequam ad Sponſam Tuam veniſſes, iam in corde fuiſti;
illudque expertâ iam bonitate Tuâ feciſti,
Præſulei ante Muneris COADIVTOR, quàm PRAESVL;
Vt Sponſa Tua, gaudia ex Te, non tam præſagiret, quàm haberet.
Notum in Te delicium ſuum excipit;
& tamen quàmuis iam ante nota gaudia, nouiſſima putat;
Virtutum Tuarum guſtu,
qui cùm deſideria non tam impleat, quàm prouocet;
Semper noua gaudia facit.
Ponimus ergo curas auſpiciorum de Te,
plenoque iure, gaudia noſtra poſſidemus;
quibus, quòd manſura ſint, quidquid hactenus tranſegit,
Virtus Tua ingens Vadimonium dedit.
Non diſtrahi mentes noſtras, ſolicitis de Te Ominibus,
Sed totas in Te colligi poſtulas;
Vt pleno votorum ſinu recipiaris, cùm plenus meritorum introeas;
bonorum omnium de Te, auſpex maximus,
quòd Virtute creuiſti.
Hæc nobis, diuinum pro Te, ex tripode reſponſum;
hæc auguriorum ſumma, & amuſſis;
quæ victimis otioſa tantũ non adſtitit, vt aliena viſcera obſeruaret;
Sed in Vſum Eccleſiæ, & Patriæ ſua effudit;
ac vel ideò diutiùs mereri voluit;
Vt rem potiùs, quàm ſpem, ad honores afferret.
Serum quippe, & præpoſterum eſt;
tum demum ſpem polliceri, cùm deſtinata rebus præmia tollimus.
Celeuſmate in portu Oceano illudit, qui non nauigauit;
Sym-

Symplegades, & Acroceraunia frustra ridens, quæ nontransijt
Vdus, & Nauteam olens, cùm de Neptuno loquitur;
Os digito signet, qui nuper Caietâ soluit.
Impleuisti, Magne Præsul, rebus Tuis,
quod nos Spebus de Te maximis, polliceri potuimus;
maluistique, tantus esse, quantum Te Spes publica posceret,
quàm expectari.
Anteuertens vota laboribus, & id vbique agens;
Vt quamuis splendidissimis Natalibus orti,
illustriùs ex Te gentilitij VOMERES Tui splendescerent.
Non venisti in alienam segetem,
quamuis Tibi, tot sæculis MADALINIVS Sanguis laborâsset;
vt Latifundia meritorum haberes;
Sed Patrimonium auitæ gloriæ Tuæ, ita recepisti;
ceu nihil ad Te, præter Magnarum Virtutum exempla pertineret;
quæ in Tuis non computâsti, nisi expressisses.
quid quid à Maioribus Tuis sago, togaque gestum est,
gratias egisti Fastis, quòd seruassent;
Sed nefas putâsti de Tuo non addere;
quod Cedris, Fastisque dignum, Posteris seruaretur.
VOMERES Tuos, à PIASTEO æuo deductos,
Septem annos sæculares, in facie publica impleuisse,
inter antiquitatis Tuæ splendores recenses;
illud tamen splendidissimum æstimas;
Gentilitium hoc ferrum Tuum, à continuo septem sæculorum vsu,
sanè tersissimum,
ita recentibus meritis Tuis expolire, ceu nihil ante Te egisset.
Æuum illud omne, quod ad Te deductum est,
conflatum ex gladijs in VOMERES pacis, sacrum fecisti;
coronas triũphales, quas Mauortius sanguis, in Maiorib⁹ Tuis respserserat,
Tiarâ pacis coronans.
Iuerant illi, in viscera hostium gladijs,
profundiùs, quàm Vomeres in viscera terræ;
non minùs suæ, quàm hostium vitæ prodigi;
Sed Tibi sacratius negotium placuit,
non scindere corda, sed Deo vnire; & si fortè scindi ea oporteat;

Vulnera cordium, oſtia Deo facere.
Ad hoc opus pulcherrimum vocati,
Diuinam animorum culturam, VOMERES Tui aggreſſi ſunt;
qui nunquam in ſummis è domo Tua Viris, otioſi fuêre.
Antequam cultus animi ad Sarmatas veniſſet;
Ferrum hoc inclaruit;
ac vel ideò, deuotam vſibus Martijs excoluit terram,
Vt Viros germinaret;
quos non inuidet etiam Conſo, Themidiq́ue, Bellona;
Ne ex gemino VOMERE, non vtrâque Ciues prodirent.
Acies hîc vtraq;, & conſilij, belli,
& ſapere, & vincere docta, Magnos vſui publico dedit,
Cæſares, & Catones;
quorum in Atauis, Auiſq́ue Tuis, ſæculum remotius,
quàm ferax fuerit;
Præſens, in Patruis, Patruelibuſq́ue Tuis, docuit.
ALEXANDRI MADALINSKI, Iudicis Terræ Vielunenſis,
Iuſtum, & ſapiens pectus,
ad Tribunal, & Comitia Regni, Areopagum ſapuit.
IACOBVS MADALINSKI, Tribunus Mſciſlauienſis,
Martis deliciæ, Moſchi terror;
Magnitudine animi, ſupra pericula eminens, dum hoſtes non computat;
Ferro famem, Smolenſcum grandi negotiò abſoluit;
Operis ſui coronam, Palatinatum Smolenſcenſem habiturus;
Niſi VLADISLAI IV. deſignationi Regiæ,
Mors aliud diploma ſubiecisſet, quod Rex Regum ſubſcripſit;
Vt decora ex ſe virtus, abſque honoribus, puriùs emineret.
Fecit Magnos ad immortalitatem gradus,
Et IACOBVS alter MADALINSKI,
Legionum Exercitûs Lithuanici ſæpiùs Ductor,
transfixo quamuis tormenti ictu pede;
iuitq́ue Spartanâ virtute ad mortem,
quam.
NICOLAVS MADALINSKI Pincerna Vielunenſis,
contra Coſacos, & Scythas, ad Zborow, magno pectore hauſit;
lætus

Lætus occumbens,
quòd feruiles, barbaraſque animas docuiſſet;
quàm pronus, & alacer, pro Deo, & Patria,
liberrimi cordis ſpiritus euolaret.
Quodſi, cum his inter vulnera, & mortes,
ſeuera cogitatio terret;
Placidiùs ij veniant, quos pax aurea coronat.
ALEXANDER MADALINSKI, Succamerarius Vielunenſis,
ipſa Ciuilis elegantiæ, norma;
MARTINVS MADALINSKI Capitaneus Præmislienſis,
Nectar animorum, & ipſa Siren,
Politiſſimi cordis illicium, & vinculum dulce,
Nobilitati Polonæ, tam dilectus;
quám,
IOANNES MADALINSKI, Abbatiæ Landenſis Adminiſtrator,
omnium pectoribus inuiſceratus;
Qui,
duorum Regni Primatum reſponſa,
ore Præſuleo, dum loquitur;
Theodoſienſem Infulam, & Suffraganeatum Gneſnenſem,
ità meruit;
Vt ſemper maiora mereri, & cuicunque honori in deſiderijs eſſe,
Summâ Virtute viſus,
excelſius titulis omnibus nomen poſſederit.
ADALBERTOS Tribunos, STANISLAOS Subdapiferos Vielunenſes,
SIGISMVNDOS, SEBASTIANOS,
& alia ſpectatiſſimæ virtutis, claritudiniſque MADALINSCIAE Nomina,
Satis loquitur, omnium gloriæ plena in Te poſſeſſio.
Magnam indolem, vim ingenij, cogitationes excelſas,
Oculum mentis in luce publica irretortum,
& quæ claræ propaginis decora ſunt;
Neceſſitatem Ducis, ponere in Summo.

Hetruſcos ergo vates,
Velatoſque capite, cum lituo ſuo, Augures non poſcimus;
Vt quâ parte, cæli regio, auſpicijs noſtris faueat, deſignet.
Natale decus Tuum Sufficit,
quod in Gentilitijs VOMERIBVS Tuis, labores terræ,
ad cæli negotia transfert.
Fauet cælum, ſi opus ferueat,
Sulcoque attritus, velit ſplendeſcere VOMER,
& ſi cultura non ceſſet, ſudores laborantium grandinant gemmis.
Manum mittens ad opus Præſuleum,
Non reſpicis ad ea retro;
quæ ex illuſtri Sanguine præceſſerunt;
Securus eorum, quæ geſta ſunt, ſecuriſſimum putas, gerere.
Ita non tam claudis agmen Maiorum, quâm decora colligis;
Nec altiùs eueheris, vt infra Te relinquas;
ſed euectos Tecum: ceu gemmas in Tiara ponis.

FE-

# FESTORVM PONTIFICALIVM,

## Ex Summa Virtute, & Meritis,

## OMEN II.

Diuinam in Oraculis Fidem,
Non alius, ſanctior receſſus, mereri potuit,
Quàm virtutis.
Fruſtra hæc omnia, ſi illa Sacris non præſidet,
Ex quibus felicitatis publicæ ſucceſsus quæritur.
profanum quippè fortunæ numen adorantibus,
Pares victimis euentus.
Rapit illa credulos, vt in lubrico deſerat;
Vilemq; eſcam, ſub aureo ſpei hamo occultat;
vt fidentiùs, quos decipit, lactet.
Virtutis adyta conſulentibus, aures ſæpè tinniunt,
cùm blanda non reſpondet.
Auſterior illi genius, & duro ſub cortice tectus.
Vox à Diuæ huius Cortina, nulla frequentior,
Quàm mereri.
Hoc eſt demùm fiduciæ ſigillum,
hæc ſacra bonæ ſpei anchora;
non trepidare ad reſponſa, ſed ex meritorum conſcientia,
ſecurum animi dictamen circumferre.
Apis Ægypti, Crocodili, Dracones,
ab hominibus ad auſpicia culti,
Opprobrio generis humani, tam certa reſponderunt;
Quàm certum eſt,
Auguſtum, ranis ne, in vicino lacu coaxarent, imperâſſe.

Brutum, & miſerabile eſt, ſic augurari;
Vt cùm hominem agas, reptilia interroges;
Senſu vndiquaq; terreno, & a caſu pendente;
Cùm virtus ex deſtinato veniat.

Hæc Tibi Diua reſpondit,

MAGNE PRÆSVL.

Iam tum in ſecreto cordis, cum Te ad arcana cæli vocauit;

Ventura Tibi Felicia,

Cùm optimam, in Domo Domini partem elegeris.

ad Sanctuarium hoc formarûnt Te,

Dilectæ primùm, cultiſſimo pectori muſæ;
cum dote maxima, ad Regum Palatiaituræ;
quod ſapientiæ decus, mentis innocentiâ conſecrâſſes.

Felici ingenio,

Volucres intelligentia alas;

ſed & modeſtiæ ſenſum, ita adaptauit;
vt plùs ſemper in Te lateret, quàm prodiret;
eruditæ lucis fonte, tantò vberiùs in ſe collecto;

Quantò moderatiùs appareret.

Sinum animi profundum, non ad latebras cogitationum,
ex quibus ancipites ſenſus prorumperent;
Sed ad Auguſta Regum Negotia; quæ Te expectabant,

arcano maieſtatis parâſti:

Mirâ Tecum, deſtinationis ex alto ſerie;
quòd ab integerrimo Principum,

*SERENISSIMO olim,*

CAROLO FERDINANDO

Poloniæ, & Sueciæ, Principe,

Vratiſlauienſi & Płocenſi Epiſcopo,
inter Curiales ſacer eſſe,
ceu à virtutis ſacrario cæperis.

Innocentiam hîc ipſam habitâſſe,

rem

rem inter homines raram, intèr ſplendores Aulicos ſqualentem,
Aulæ pietas, & Sanctimoniá probauit;
ipſo Principe, virtutis lydio lapide;
à quo probari, ſatis fuerat ad innocentiæ Criſim.
Manipulus ille IAGELLONIVS,
Bonæ mentis ariſtas, elegit, & dilexit;
leues paleas procul habens;
quas non alibi, aura popularis faciliùs corripit,
Quám Infula.
Placuit illi, ex operoſo VOMERE Tuo,
matura in Te, & frugifera virtus,
Digna Regio manipulo, ex electo grano ariſta;
Cui ne Oraculum deeſſet, Vatem ex Principe fecit.
Diuinum ſæpe Organum eſt,
Sacer, manſuetus, & illibati pectoris Princeps;
qui vt diuinas in terris vices, ſanctiùs implet;
itá non humano ſpiritu, quæ captum mortalem exceſſêre,
altiori ſpiritù, certiùs loquitur.
Mens CAROLI Principis, Vnita Deo,
Hoc de Te præſenſit; quod eiuſmodi ſolent;
qui non minùs Maieſtate, quám Pietate,
Segregati á vulgo,
Mentem cælo viciniùs tollunt.
Terna illa Benedictio,
quâ ſupra ritum quidem, ſed non extra arcanum diuinum,
Myſtes ad Aras abundáſti;
cùm Deus numero impare gaudeat,
Parem Te aliquando futurum, qui Tertius,
poſt CAROLVM Principem, Plocenſis PRAESVL fieres,
præſignauit.
Nempe á Manipulo IAGELLONIO,
non longiùs VOMERES Tui diſtare debebant;

qui prò manipulo laborant;
approbante Deo, quàm à CAROLI Principis corde, non distabas;
quàm á pietate non recedis;
qui ei tam propè successisti,
Vt solùm non nisi Fasciæ GEMBICIANÆ vinculum
inter Te, & Principem, intercedat, quod Te illi arctiùs coniungat,
Habet ille iam, ex oraculo sua gaudia;
Si quæ, gaudiorum è terris, Oceano illi gutta accedit;
Sed & LESCZINIVS Primas Regni,
in fastigio illo, ex quo immortalia prospicit;
Est vnde, immortali censuræ suæ gratuletur;
quod iudicium de Te suum Infula coronet
quam Serenissimus olim
IOANNES CASIMIRVS
Poloniæ, & Sueciæ REX,
Augustâ manu ad Te detulit
vt Fratris Oraculum impleret,
A tanto Principe, ad maiestatis secretiores primùm literas delectus,
qua fidei integritate, quo prudentiæ sensu,
Venerabile animi Tui secretum, Regiæ mentis depositum feceris,
Alexandri ad Hefestionis os dilectum,
pretiosâ annuli gemmâ non est opus.
Notâsti verba, signâsti Principum mysteria:
& vt priuilegium intaminatæ fidei reciperes;
Gazam Principis, & Reipublicæ, pro Diplomate accepisti.
Diploma hoc signabit æternùm
quantæ puritatis, animus ille fuerit.
qui inter ærarij tenuissima retia
Subtilesque auri pedicas, innocentiam tutam vt haberet,
mentis scoriam ab auro non admisit:
Tam sacer ad Regni Thesaurum,
vt ab eo, ad Cælestium in terris dispensationem;
qui fidus Principi, & Regno Administer fuerat,
fidus

fidus Deo Pontifex futurus transierit.
Regum hæc ingens gloria;
quòd IOANNIS CASIMIRI, & MICHAELIS,
Augusta in Te, non erubuerit purpura;
à quâ, in Ecclesiæ Patriæquè Senatum Lectus;
Orbi Polono testaberis semper; quam non pæniteat Reges,
Virtutem procul ab ambitu positam honorâsse,
Sinceri fructus Iudicij hic est,
Posterorum Iudicia non vereri,
Prorogauit beneficio ætatem, qui digno contulit;
gratias ab omni æuo habiturus;
Quòd gratiam non amiserit, quam bono publico dedit.
Eam in Te agnoscimus PRÆSVL,
Prodimusq; obuiam virtuti, quæ summos honores meruit,
dum nullos ambiuit.
Pulcherrimum Tibi, Sponsæ Tuæ auspicatissimum,
quòd maximo apparatu, merita Tua, ante Te prodeant;
Nullo spectaculo, inter Solennia Tua gratiore;
quàm quòd applausum non extorques, sed mereris.
Festus hic Dies,
Qui Cathedram Plocensem luce nouâ coronat,
Lætitiam habet tam sinceram;
quàm ebur illud mentis Tuæ, niueum est;
Quod à simulatis artibus, in palæstra artificiosæ politiæ,
illibatum seruâsti;
Vt in specula Pastorali, morum, & vitæ speculum haberetur.
Ingreditur Tecum,
Comitatus ille, qualis Præsules decet;
Pietas nimirum, Sanctimonia, Vigilantia, Zelus.
Ex quibus Sponsa Tua intelligat;
quo ornatu eam incedere velis;
Cùm Sanctitudo Tecum, quæ Domum Domini decet, procedit vt Regnet.

 Auspi-

Auſpicatorum ergò, de Te Ominum ſecura,
Votorum, & gaudij plena,
ruit in amplexus illos, deſcendens Tibi de Cælo,
Sponſa;
quos magnitudine meritorum Tuorum expandiſti;
corq; ſuum dilatat, vt introeas,
qui à corde Principum venis,
Exſpectant Te Vota omnium, & ſæcula illa felicia;
quæ ſub Auſpicato Nomine Tuo, VENTVRA ſpondet,
dùm Paſtor bonus prouides;
Vt ex abundantia, benedictionis Diuinæ,
quæ ſuper labores Manuum Tuarum deſcendit,
Fiat Odor Sponſæ Tuæ:
Sicut odor Agri pleni;
Cui benedixit Dominus;
Cùm de Rore Cæli, & de pinguedine Terræ,
Vomeres Tuos fæcundos,
Tiarâ Pontificiâ,
CORONAVIT.